

reddat quasi insanum, teste eodem Antisthene, qui dicebat (ubi supra) se malle insanire quam affici voluptate: *Insaniam enim aufert medicus: voluptas cum mentem eripiat homini, via sanabile malum est.* Offendit mentis aciem, offuscat iudicium, consilii celeritatem impedit, memoriam debilitat, facitque ut homo nihil altum, nihil magnificentum et divinum agere queat. Circe illa Homericæ est, quæ blando suo veneno homines dementat et in bestias commutat. Patuit in Salomone, quem voluptas carnis ex sapientissimo reddidit stolidissimum, ut suarum concubinarum idola adoraret, earum mancipium fieret, totque beneficiorum Dei sui oblivisceretur: patuit in Claud. Cæsare, qui ventri et voluptatibus deditus in tantam mentis stupiditatem et oblivionem devenit, ut occisa Messalina conjugæ, paulo post mensæ assidens quæreret, cur domina non veniret; atque multos ex his quos capite damnaverat, postero die in concilium et ad alæ lusum invitaret, teste Suetonio, in ejus vita.

Secundo, mollem et effeminatum reddit, adeo ut Democritus voluptatem morbo comitiali, qui repente omnibus viribus hominem destituit et in terram prosternit, compararit. Expertus id est fortissimus Hercules, cui voluptas clavam, quam nec Cerberus potuit eripere, extorsit, ac pro eo pensum ac fuscum digitis ejus aptavit, cum illius Iolis impuros amores sequeretur. Eadem dum vires et virtutem Romanorum enervavit, Hannibalem victorem effecit, inquit Livius, dec. III. l. III. eadem Sybaritas Italiæ populos perdidit. Tam hi luxui et voluptati addicti erant, ut convivium celebraturi, anno prius per feminas sumptuosissime vestitas invitarent, artes quæ sono constabant, e civitate ejicerent, ne qua ratione interpellaretur quies, Athen. lib. XI. cap. VI. Illi igitur cum docuissent equos suos ad tibiam saltare tempore convivii, hoc intelligentes Crotoniæ bellum ipsis intulerunt et tubam quidem canentem classicum non sumpserunt, sed tibias, et tibicines, qui commisso prælio cantilenam canerent saltatoriam. Hanc audientes equi Sybaritarum, memores domesticæ disciplinæ excusserunt equites, et exultantes ac saltantes perturbarunt ordinem, itaque victoriam hostibus dederunt, Diod. lib. XII. Ælian. lib. XVI. cap. XXIII. Plin. lib. VIII. cap. XLII. Quis in equis istis non videt voluptatis typum, quæ et ipsa hominem e sella rationis et imperii excutit, hostibusque in prædam dat? Cum enim in tentatione aut mortis agone pugnandum foret cum dæmone, tum voluptas hominem abripiens ad solitas voluptatum delicias, mente saltem et cogitatione, impedit a pugna spirituali, et hosti tartareo tradet.

Tertio, damnis etiam temporalibus afficit; nam et dolores parit et corrumpit valetudinem et crumenam exhaurit, famam quoque denigrat, et affligit animum conscientia malefactorum, et mortem affert immaturam. Nimis hæc omnia manifesta sunt: nec negare potuit Heliogabalus Imperator fœdum voluptatis mancipium, ideoque Sardanapalus dictus; cui cum familiaris quidam, immanem ejus detestatus luxum ac luxuriam forte objiceret; annon metuat ne ad egestatem aliquando redigeretur, respondit: *Quid melius, quam ut ipse mihi suus hæres sim et uxori meæ?* Plato cum videret Agrigentinos magnis ædificare impensis, similique modo cœnare, dixit: *Agrigentini ædificant quasi semper victuri, et comedunt quasi semper morituri,* Ælian. lib. II.

Quarto, tandem desinit in amaritudinem, et postremo quidem in æternam. Pythagoras ille vetuit gustare ea, quæ nigram habent caudam. Hujusmodi autem esca est voluptas, quæ initio quidem blanditur, in funestum tamen pœnitentiæ finem desinit. Siren est, quæ muliebri quidem arridet facie, caudam tamen habet venenosam ac serpentinam: Hypanis est fons, qui teste Herodoto, l. IV. quinque dierum via dulces, sed exiles fundit aquas; deinde, post quatuor dierum iter fundit amarissimas: pardalis est, quæ suavi odore suo allicit ad se captas, mox tamen corripit et dilaniat, Plut. lib. contra volunt. Ita enim videmus honores mille afferre curas et molestias: gulam desinere in nauseam, capitis dolores, febres, cholicas, catarrhos: libidinem in vomicas, luem veneream, carcinomata, infamiam, damnationem, ut vere dixerit Proverb. V. Salomon: *Fovus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absinthium.* Idque ipse procul dubio nimium quantum expertus est, dum ad finem vitæ sensit aculeum conscientie, vitæ tedium, (uti scribit Eccles. II. *Idcirco tædium me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole et cuncta vanitatem et afflictionem spiritus, corporis morbo et dolores, regni dilacerationem, nominis ignominiam, hæredem stolidum, Roboam filium.* Experto igitur crede Ruperto. Describit Dio, orat. IV. de regno, Persarum festum, quod saccorum dies appellabatur, quo ex captivorum numero aliquis collocatur in regio throno regio vestitu; debetur et concubinis utitur illis regni diebus pro libitu; quidquid vult, impune agit: finitis autem illis diebus exiit, virgis cæditur, et suspenditur. Ecce vero hoc Persæ faciunt? «Nonne ideo, inquit Dio, quod sæpenumero stulti homines et pravi talem potestatem et nomen adipiscuntur: deinde, aliquanto tempore superbe viventes, turpissime atque ocissime perduntur?»

Cogitet jam quisque num talem subire sortem, talique frui voluptate vellet. Nemo, credo, ita desipiet. Quare, auditores, aperiemus oculos, non jam cum Adamo et Eva post degustatum pomum, cum viderunt se deceptos esse et Deum gravissime offendisse, sed antequam gustemus. Fugiamus arbores istas pessimas, ne tandem amarus earum fructus cogamur devorare, et in hoc et in altero sæculo.

## CONCIO II.

## EXPONITUR SENTENTIA CHRISTI IN ARBORES STERILES.

I. Omnis arbor. — II. Quæ non facit. — III. Fructum. — IV. Bonum. — V. Excidetur. — VI. Et in ignem mittetur.

## THEMA.

*Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Matth. VII.

Pythagoræ symbolum, auditores, inter alia fuit: *Cum tonat, terram tange*, hoc est, cum Dei iram sævire animadvertis, humilia te, memor originis et conditionis tuæ, et manum ad laborem beneque operandum admove. Horrendum in modum tonat Christus in hodierno evangelio, cum ait: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Quis non contremiscat? Quis non terram tangat, et coram Deo iudice ad terram usque se humiliet, ac bene operari studeat? Sane cum præcursor Christi, Joannes, his eisdem verbis detonaret in Judæos, perterriti dicebant: *Quid ergo faviemus?* Quibus respondet Joannes: *Qui duas habet tunicas, det non habenti: et qui habet escas similiter faciat.* Nos ergo dum ipsum Christum iudicem hac voce tonantem audimus, quid, quæso, faciemus nos? Nonne terram tangere, nonne humiliari et honorum operum fructum polliceri Deo nos oportet? Hoc ergo ut præstemus, audiamus et expendamus fulminantem illam Christi sententiam.

I. Inquit: *Omnis arbor*; non utique proprie dicta et lignea, sed metaphorica seu homo, qui etiam ex gentilium philosophorum sententia est *arbor inversa*, radicem, hoc est, caput et rationem, sursum versus cælum unde nutritur, habens: ramos vero, hoc est, pedes in terra deorsum. Unde a Clemente Alexandrino vocatur *planta cælestis*.

*Arbor* ait, non planta, non arbustum aut frutex quia adultos intelligit et ratione utentes; ab his honorum operum operum fructus exigit, non ab infantibus, puerulis aut rationis usu destitutis; quemadmodum nec a tenellis plan-

tis speratur aut exigitur fructus, donec adolescent, ab adulto filio requirunt parentes studium, laborem, amorem et observantiam, non item ab infante.

*Omnis*, quia nemo excipitur, non reges, non divites, non agricolæ, non milites, non mendici, non juvenes, non infirmi, et similes, qui dicere solent, sibi non esse otium, aut vires ad orandum, jejunandum, confitendum, communicandum, etc. Quid enim ait Scriptura de principibus terræ, qui viam sapientiæ ignoraverunt et spreverunt? *Exterminati sunt et ad inferos descenderunt*, Baruch III. Quid de Jechonia, octodecim annorum adolescente? *Vivo ego*, dicit Dominus, *quia si fuerit Jechonias filius Joakim regis Judæ, annulus in manu dextra mea. inde evellam eum*, Jer. XXII. q. d. si fuerit mihi conjunctissimus et charissimus, propter floridam adhuc ætatem, qua ad regnum evectus est aliasque præstantissimas dotes: ubi arbor mala et sterilis esse cœperit, excindam eum et evellam velut annulum e manu mea, abjiciamque in captivitatem, uti factum est. Nam post tres imperii vix degustati menses statim et ipse abductus est in Babylonem a Nabuchodonosore, fuitque captivus triginta septem annis, qui scelera patris sui cœperat imitari. Quid ait de Capharna, quæ dicta est Christi civitas, quod eam sua commoratione, miraculis, et doctrina præ cæteris condecorarit? *Et tu Capharna usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris*, Luc. X. Quid de propinquis et commensalibus Christi dicentibus: *Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti*, quid respondet? *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* Nemo igitur, nemo excipitur ab hac lege. Cum cæduntur ad rogam ligna, parci solet quibusdam silvestribus arboribus, v. g. betulis aut quercibus, quia videlicet proceræ vel elegantes et speciosæ sunt. Non ita fiet cum hominibus, quisquis fructu caret, excidetur et in ignem mittetur, qualiscumque fuerit, aut quocumque loco steterit. Excisus e cælo est Lucifer, supremus et speciosissimus angelus: excisus e paradiso terrestri Adam, vir omnium sapientissimus et ornatissimus, orbis imperator: excisus e regno Saul, vir ad regnum natus: excisus ex apostolorum collegio Judas, quia honorum operum fructibus destituti inventi sunt.

II. *Quæ non facit*: non ait: *Fecit*. Licet enim olim multa bona feceris, si facere desiisti, peristi, et omnia perdidisti. Bona et præclara arbor fuerat rex Saul in ætate teneriore, multaque bona præstiterat: *Erat enim electus et bonus: et non erat vir de filiis Israel melior illo, ab humero et sursum eminebat super omnem popu-*

lum, ut dicitur 1. Reg. IX. Et propterea cum Samuel eum ungeret in regem, deosculatus est, in amoris et benevolentiae signum, 1. Reg. X. Et tamen arbor hæc tam bona et electa, ubi sterilis esse cepit, et malos fructus protulit, a Deo reprobata, excisa et abjecta est, uti e regno, ita e cælo. Quanta bona fecit quondam Origenes? Ipse patrem in vinculis positum ad martyrium corroboravit: ipse quam plurimos ad fidem convertit, in fide erudit, ad martyria accendit: ipse ad vincula et mortem pro Christo subeundam ultro excurrere voluit, et de facto excurrisset, nisi præpeditus fuisset: et hic tamen talis ac tantus ad extremum excisus, ubi in hæresin prolapsus est. Non ergo satis est fuisse aliquando bonum, bonus esse et deprehendi debet. Vicissim nihil oberit tibi malum **aliquando fuisse**, si jam bonus sis, uti in Saulo patet. Neque ait: Faciet, quia non attendit Deus quid aliquando facturum esses, vel quid facere constitueris, si cum posses, non fecisti; quid nunc facias considerat. Nemo fere tam malus est, ut non proponat aliquando vitam emendare, et pœnitentiæ fructus facere; sed hoc non curat Deus, nec quidquam prodest homini. Quid non facturum se spondit rex Antiochus, si convalesceret ad infirmitate? II. Macch. IX. Promisit Hebræis libertatem, qualis erat Atheniensium, templo pretiosa dona et vota sacra plurima, necnon redditus ad sacrificia: « Super hoc Judæum se futurum, et omnem locum terræ perambulatum et prædicatum Dei potestatem. » Id quod Gorionides, l. III. c. XII. graphice describit his verbis: « Faciens votum ait: Domine, si sanaveris me ab ista infirmitate, veniam in Jerusalem, et implebo eam auro et argento, atque vestes purpureas sternam per omnes plateas ejus, tradamque omnes thesauros meos in sanctuarium magni Dei: circumcidam præputium carnis meæ, et vadam per universam terram aperta voce contestando, alium non esse in universo mundo similem Domino Deo Israel. Sed non exaudivit Dominus orationem ejus, nec aurem præbuit ei, quin magis in omni terra, ubi versabatur crudelis ille Antiochus, quamdiu inhærebat ei morbus, lacerabatur caro ejus de ossibus ejus, atque tandem intestina ejus quoque in terram ceciderunt, et mortuus est ignominiose in terra aliena. » Impio Antiocho non absimilis Henricus VIII. Angl. rex in agone receptui canens consuluit episcopos, qua ratione ad Ecclesiæ unionem, quam crudeliter ruperat, redire posset: *In his angustiis constitutus*, ait Florimundus, de orig. hæc. l. VI. c. V. *singulis horis in memoriam sibi revocabat, exiguo illo, quod exegerat vitæ spatio, quantis malis populum suum affecisset. Ita*

*tacta divinitus conscientia, quum penitus intimo ejus recessus excussisset, jam incipiens meditari salutem suam princeps miserimus statuit reverti ad Ecclesiam, etc.* Sed irritum et inane fuit ejus votum: peritque desperatus edita hac voce: *Omnia perdidimus.*

III. *Facit*, inquit Dominus; hoc est, pergit semper facere, juxta id Sapientis: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare*, Eccl. IX. Scimus enim a Domino arefactam esse ficum, quæ fructus non habebat, cum eos Christus quæreret, tametsi tunc non esset tempus ficuum, Matth. XXI. quia nimirum ficus illa designabat hominem, qui tota vita sua frugifer esse debet; quia non per solis ardorem, uti ficus, sed per voluntatem suam et divinam gratiam fecundatur. Unde Augustinus, tr. XLIV. in Joan. ait: *Illorum est culpa sterilitas, quorum fecunditas est voluntas.*

III. *Fructum*, non ait: Folia. Hæc enim verba non opera; eruditionem, non virtutem denotant. Atqui verbis Deus nequaquam est contentus; sicut indicat Dominus verbis mox sequentibus: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Ad fructus, non ad folia invitat sponsa dilectum suum, Cant. V. *Descendat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum.* Non delectatur Deus verborum foliis, nisi fructum habeant comitem. Dæmon est, qui: *Dormit in salicibus torrentis*, Job XL. a quibus umbra tantum, non fructus sperari potest: *Filioli, non diligamus verbo neque lingua sed opere et veritate*, ait Joan. ep. 1. c. III. Folia etiam sunt eloquentia et scientia, consilia et adhortationes quæ nisi adsint opera bona, nequam servare ab excisione arborum possunt: *Bene loqui et male vivere, nihil aliud est, quam se sua voce damnare*, inquit S. August. in sen. num. VI.

*Fructum*, ait, non flores. Flores sunt fides mortua, seu titulus christianismi, externus solium et publicus Dei ac religionis cultus, habitus religiosi, etc. de quibus dicitur Jer. VII. *Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum domini est.* Non ergo satis est in vera Christi Ecclesia esse, nisi etiam bene vivamus in eadem: *Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse, laudabile est. Esse Christianum grande est, non videri*, inquit S. Hieron. ad Paulinum. Flores sunt vota ac promissa pia, quæ fiunt Deo et confessariis, sunt tamen inefficacia, uti illud Balaami, Num. XXIII. *Moriatur anima mea morte iustorum.* Flores etiam sunt gratiæ gratis datæ, quæ mire quidem adornant

hominem, non tamen Deo gratum reddunt, nec salvare queunt. Unde Dominus, Matth. VII. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tum confitebor illis, quia nunquam novi vos.*

IV. *Bonum*, non malum: si enim excidetur arbor, quæ non fert fructum bonum, quanto magis excidetur, quæ fert fructum malum? Quid fiet de adulteris, furibus, homicidis et similibus; si damnantur illi, qui carent bonis operibus.

*Bonum*, ait, non agrestem, cujusmodi fructus sunt opera moraliter tantum bona, ut qui ex naturali commiseratione dant eleemosynam, duos subeunt labores, educant suos liberos, magnas alunt familias; ædificant, dilatant, imperia, etc. quæ omnia sunt agrestes dumtaxat fructus, quibus nutriuntur bestię, nihil ad cæli lucrum præstant; cujusmodi arbor erat Nabuchodonosor, uti describitur, Dan. IV. § IX.

*Bonum*, non inutilem, cujusmodi sunt fructus qui in arborum vertice, vel in altis rupibus hærent, loco hominibus inaccesso, ideoque corvorum præda fiunt, qualiter sunt opera bona ad inanem gloriam patrata; quæ diripiuntur a dæmonibus, a mensa Dei exulant.

*Bonum*, non magnum aut multum, quia non qui multum, sed qui bene orant: qui non sæpe, sed qui bene confitentur et communicant: non qui larga manu, sed qui bona intentione dant eleemosynam, Deo placebunt.

*Bonum*, non speciosum; cujusmodi sunt poma juxta mare mortuum, forinsecus quidem pulchra, intrinsecus autem plena cineribus et favilla. Talia sunt, quæ mundo placent, et magna judicantur, uti decore loqui, splendide se ornare, gratiam hominum venari, scite saltare, bene ludere, docte canere, digladiari, escas divinare, pecunias comparare, etc. Non sunt isti fructus, quos hic requirit Christus. Hi enim apud ipsum nullo loco sunt, poma inania et sordida sunt; quemadmodum et opera illa pharisaica, quæ foris quidem parent egregia, intus autem plena sunt hypoerisi et immunditia.

V. *Excidetur* primo, immatura adhuc ætate: non expectabitur donec arbor senior confecta, ipsamet arescat; sed dum adhuc viret, exterminabitur; quod plerisque contingit peccatoribus, qui terram frustra occupant, nihil bonæ frugis faciunt, sed fruges tantum absumunt, et aliis molesti sunt, uti colligimus ex ficu illa sterili, quæ per triennium fructum nullum tulisset, excendi e vinea jussa est, quod terram frustra occuparet, Luc. XIII.

Secundo, *excidetur* morte non naturali, pia-

cida et suavi, sed violenta, amara et anxiosa, in qua miser homo remorsu conscientię quasi ictu securis identidem pulsabitur et tandem cum ingenti fragore et clamore, pavore et horrore vitam abrumpet. Quod inter quotidiana fere exempla docuit Thomas Cramert. primum, archiepiscopus Cantuariensis, deinde, apostata, auctor schismatis Henrici VIII. Angli, qui primus in Anglia uxorem publice duxit, et demum hæreseos convictus, et igni adjudicatus, desperabundus terribiles ululatus una cum blasphemis in Deum et sanctos edidisse scribitur a Florim. l. VI. de orig. hæc. c. VIII.

Tertio, *excidetur* simul et semel omnia amissurus bona, spiritualia et corporalia, temporalia et æterna. Cum ramis truncatur arbor, non hoc ipso statim interit: uno enim alterove resecto, alter et plures succrescunt. « Quod intelligens inclytus dux Florentiæ, inquit Hector Pintus, in Dan. c. IV. pro insigni accepit magnam ac proceram arborem, multis ramis opacam, quodam tamen exciso cum hac littera: Uno avulso non deficit alter. Unde vir sapiens et justus irridet mundi sævitiam et calamitatem; nam si abstulerit ei divitias, manebit illi virtus; si ei eripuerit dignitates, manet illi animi excelsitas et magnitudo; si ei præciderit vitam, manet ei nominis amplitudo et fama immortalis; si ei falsis testimoniis famam ademerit in hac vita, manet ei in altera gloria sempiterna: et ita avulso uno ramo non deerit illi alter. » At non ita erit cum peccatore: totus succidetur cum omnibus ramis, et bonis suis cadet concidetque, simul omnia perdet, uti morientem dixisse Henricum VIII. supra vidimus.

Quarto, *excidetur*, non succidetur, quia radicitus extirpabitur, ut nunquam revirescere per omnem æternitatem queat. Arbores quidem dicuntur cædi vel succidi, quia earum radix et stipes in terra relinquitur, unde revirescere et rursus germinare possunt. Hinc Nabuchodonosori dictum: *Succidite arborem, etc. verumtamen germen radicem ejus in terra sinite*, quia nimirum regressum ad regnum et spem ad salutem habuit per pœnitentiam, adeoque etiam obtinuit ac revivuit. At non ita peccator, cum excidetur ex hac vita, ut testatur Malachias, c. IV. dicens: *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, et erunt superbi, et omnes facientes impietatem stipula, et inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem et germen.*

Quinto, *excidetur* ex hujus amœnissimi mundi habitaculo, e propinquorum, amicorum et charissimorum pignorum commercio; ex dulcissima sua familia, e consortio et societate sanctorum et beatorum omnium; ex ipsa cæli regia, et beatifico Dei aspectu. O tremendam excisio-

nem! Quam dolebat mater Tobiae, quod ad breve tempus licet, ablegasset a se filium! *Lumen oculorum nostrorum*, aiebat, *baculus senectutis nostrae, solatium vitae nostrae, spes posteritatis nostrae! Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis*, Tob. X. Quanto verius hoc dicere poterunt inferi, qui pro exiguo lucro, pro fluxa et inani voluptate ablegarunt a se Deum, lumen oculorum suorum, solatium vitae suae, spem aeternitatis suae. Eheu! dicent, non debuimus ita insanire, ut a tanto bono separari nos pateremur: *Quid profuit nobis superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis?*

VI. *Et in ignem mittetur*. Quid vero hoc, auditores? Quid est mitti in ignem? Primo, tradi in supplicium omnium suppliciorum saevissimum, horribilissimum, in ignem, respectu cuius ignis noster non est nisi ignis pictus; in ignem caliginosum, ubi nil videre erit nisi suas et suorum poenas; in ignem extinguiibilem; in fornacem plusquam Chaldaicam.

Secundo, mitti seu deijci cum ingenti impetu in voraginem profundissimam usque ad centrum terrae, ea pernecitate, qua Satanas instar fulminis cecidit de caelo.

Tertio, deijci in locum, ubi nemo se movere poterit, sed jacebit unusquisque velut truncus per omnem aeternitatem. Et quid erit, tot truncorum millia in uno jacere cumulo, et se mutuo premere? Se mutuo inflammare? Perpetuo ignem alere? Ut enim picea et oleaginosa corpora tamdiu ardent, quamdiu aliquid picis vel oleaginis in se retinent: ita damnatorum corpora tamdiu fovebunt ignem illum quamdiu foveat peccatum. Hoc autem semper in se gerunt; semper ergo ardent. Atque hic est rogius ille, quem typice monstravit fornax illa Nabuchodonosoris accensa nimis, cujus flamma quadraginta novem cubitis effundebatur, Dan. III. Non attingebat quinquagesimum cubitum; quia numerus quinquagenarius, numerus remissionis est: in inferno autem nulla est redemptio, adeoque nulla remissio. Quare auditores, audito et intellecto hoc tonitruo, terram contingamus; humiliemur sub potenti manu Dei; sed et manum nostram admoveamus ad laborem beneque operandum.

## CONCIO III.

CUR REQUIRAT A NOBIS DEUS BONA OPERA.

I. Ut vita eradicemus. — II. Ut retineamus gratiam. — III. Ut Deum glorificemus. — IV. Ut fidem per ea profiteamur. — V. Ut gaudium nostrum in caelo sit cumulatus. — VI. Ut varietas sit meritorum et coronarum. — VII. Quia lex naturae id postulat.

## THEMA.

*Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Matth. VII.

Fateri certe debemus id, quod dixit Dominus: Omnem arborem infructiferam solere excindi et comburi. Sed num idem evenire debeat hominibus carentibus bonorum operum fructibus, non ita intelligimus. Nos enim si arborem infructiferam excindimus, propterea id agimus, quia fructu illius egemus, quo tunc destituimur: atque Deus etsi creavit nos, fructu tamen non indiget nostro; ideo enim ad eum David, Psal. XV. inquit: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, quasi diceret: Nos quia homines sumus, egemus fructu arborum nostrarum, et ideo irascimur, ac securim admovemus in fecundis arboribus. Tu, quia Deus, non ita. Conserva igitur nos, Domine, etiam infecundos, abstine ab excisione: atqui semel scriptum est: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur*: et quod scriptum, scriptum est. Quæramus ergo, cur hæc sententia contra hominem infecundum scripta sit, et cur exigit ab homine Deus bona opera, quorum non eget.

I. **Exigit**, ut per bona opera vitia in nobis extirpemus et eradicemus. Tametsi enim per penitentiam peccata nostra extinguere possumus, non tamen idcirco statim habitum peccandi extinguimus: sed is remanet et nos protinus ad nova inclinat peccata. Ut igitur morbi certis medicamentis et preservativis arcentur in eo, qui ad illos dispositus est; ita: « Coelestis medicus, ait S. Greg. hom. XXXII. in evang. singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut arte medicinae calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria apposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem. » Jam vero homo vetus et carnalis semper ad malum inclinatus, pronus et dispositus est: *Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat*, ait idem Gregorius immediate ante, *nisi sua retinere, aliena rapere si posset; concupiscere si non posset?* Hortulus etsi initio belle adornatus, pulcherrimis floribus optimisque herbis consitus est, in varias quoque figuras et characteres divisus, nisi cultor semper ei invigilet, statim inutiles herbas projiceret et bonas suffocabit, figurasque oblitterabit. Carnalis homo hic hortulus est, mens veluti cultor illius, a Deo ipsi constitutus. Per baptismum homo renovatus est, pulcherrimis et figuris ac floribus,

gratia et virtutibus infusus adornatus: sed interim ob carnis concupiscentiam et passiones perpetuo æstuantem, subinde innascuntur ei herbae mala, quæ suffocant bonas, nisi cultor eas sæculo extirpet, et bonos implantet. Abscinduntur quasi per penitentiam ejusmodi zizania, sed non exterminantur omnino, quia radix et habitus peccandi per illam non evellitur. Unde talis hortus placebit quidem Deo, quia purgatus est: non tamen diu talis manebit, nisi per sedulam bonorum operum exercitacionem, peccatorum radices tollantur et virtutes implantentur. Quis autem dubitat tolli avaritiam per crebras eleemosynas, gulam per jejuniis, superbiam per opera humilitatis, quibus inservit aliquis pauperibus? Propterea apostolus cultum mortificationis, quo radices illas penitus excinderet, semper in manibus gerebat, II. Cor. IV. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes*, id est, semper sumus mortificantes membra nostra cum vitiis et concupiscentiis, ut exponit S. Rhemigius, eo loco et alii. Bene autem dicit: *Mortificationem Jesu*, quia Christus docuit mortificare membra per actus virtutum et bona opera vitiis contraria ut supra ex Gregorio audivimus. Quare ubi cultor et culter iste non est, ubi nulla sacramentorum frequentatio, bonorum operum exercitium est: ibi vitia et concupiscentiæ regnent, necesse est.

II. Ut retineamus acceptam gratiam. Retinetur enim gratia per bona opera, sicut ignis per signa, sicut vita per cibum, sicut lumen lucernæ per oleum. Ignis, nisi fomentum habeat, conservari nequit, Prov. XXVI. *Cum defecerit oleum, extinguetur lucerna*. Gratia autem, ignis ille est, de quo Levit. VI. præcipitur: *Ignis in altari semper ardeat*. Sed quomodo is conservabitur? Sequitur mox: *Quem nutrit sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies*. Cor nostrum altare hoc est, ligna bona opera; sacerdos, quilibet justus. Gratiam igitur conservare vis? Crebro subjice ligna bonorum operum. Rursus uti color naturalis in homine humorem continuo absumit, qui nisi per cibum et potum restauretur, vita conservari nequit in homine: ita caro ac concupiscentia pugnat semper in spiritum, qui nisi foveatur bonis operibus, tandem obfuscoratur, et vita gratiæ fugiet. It ergo cibum defuator vitæ est contra calorem quia humidum ei novum semper suppeditat: ita bona opera defensores et altores gratiæ sunt contra carnem. Denique: « Sicut lucernæ lumen, ait S. Chrysost. hom. de verbis apost. habentes eundem spiritum, etc. oleo retinetur, et consumptum oleo, ipsum quoque consumptum umen evanescit; ita et spiritus gratia, quantis-

per habemus opera bona et crebris eleemosynis animum rigamus, manet, non aliter quam flamma oleo retenta; quæ si non adsint, recedit a nobis et abit. » Ita recessit a fatuis virginibus dicentibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, Matth. XXV. Et quam multi hoc cogitabant in morte: O utinam frequentassem sacramenta, conciones, opera misericordiæ, etc. Eheu lampades nostræ extinguuntur! Judæi instituerunt festivitatem pro igne sacro perpetuo fovendo, teste Josepho, lib. II. de bello, c. XVII. Utinam nos hanc festivitatem tota nostra vita celebraremus, comportando bona opera ad conservandam gratiam.

III. Ut Deus glorificetur et laudetur a nobis. Nam per bona opera a nobis colitur, et hunc cultum a nobis exigit. Negant hoc hæretici pertinaciter, sed euntes discite, quid est, quod Corinth. VII. ait apostolus: *Quis plantat vineam (arborem) et de fructu ejus non edit?* Quis emit villam aut prædium sicut a villico non requirit censum et emolumentum? Sicut ergo hortulanus ab arbore sua fructus, et sicut a villico suo exigit dominus prædii censum suum, v. g. certum numerum caseorum, butyri, anserum, pullorum, pecuniæ, piscium, frumenti, etc. sic Deus qui creavit nos, quique dedit nobis dona sua plurima, tam spiritualia quam corporalia, gratiam et virtutes infusus, intellectum, ingenium, voluntatem, memoriam, virtutes acquisitas, scientiam; divitias, honores, nobilitatem, corporis robur, formam, sanitatem, integritatem, etc. de his omnibus censum aliquem petit, non quidem sicut dominus terrenus ut his ditetur, sed ut cultum sibi debitum ex his a nobis recipiat, et hoc ad utilitatem nostram. Non vetat Deus, quin hæc bona applices etiam ad tuam necessitatem, sustentationem ac recreationem decentem: vult tantum ut pro occasione loci et temporis ipsi quoque ex his censum suum persolvas: intellectum, voluntatem, memoriam, ingenium, etc. certis horis in contemplatione rerum divinarum occupes: eleemosynam, ubi pauperem videris, largiaris: corpori in diebus jejuniorum cibi aliquid detrahas: sex diebus opereris, septimum saltem Deo et bonis operibus tribuas. Quis dubitat hunc cultum gratiorem esse Deo et præstantiorem quam fuerint sacrificia veteris legis? Unde ait, Ps. XLIX. *Non in sacrificiis tuis arguam te*, scilicet in die judicii. Primo: *Quoniam mæx sunt omnes feræ silvarum*: secundo: *Numquid manducabo carnes taurorum et sanguinem hircorum potabo?* Quid igitur? *Immola Dec sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua: hæc enim*